

I. N. 7.

DISSERTATIO HISTORICA

DE
REGNO
NORMANNORUM
IN
SICILIA,

CUJUS

PARTEM PRIOREM,

Consens. Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Academ. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE
BILMARK,

HIST. & PHIL.RACT. PROF. REG. & ORD.

PRO GRADU

Publicæ censuræ submittit

ALUMNUS RECUS,

ANDREAS BERGMARK,

Wistro-Gothis.

Die XVI. April. Anni MDCCCLXVI.

I. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

KONGL. MAJ:TS
Tro-Tjenare och CAPITAIN vid Nylands Infant. Reg.
samt RIDDARE af Kongl. Svärds-orden,
Välborne

HERR CARL FREDRIC TÖLL,

KONGL. MAJ:TS
Tro-Tjenare och CAPITAIN vid Nylands Caval. Reg.
Välborne

HERR CARL FREDRIC EKESTUBBE,

MINE HÖGGUNSTIGE

Apollo var ej än på Manhemis högder kändar,
Då Mars af hög och låg gudomlig vördnad fick;
Ty både Sven och Mö med sköld och pantar gick,
At öda tappert folk och härja vackra länder.

De Nordmäns blotta namn var södra verldens fasa,
De Britters rika ö, de Gallers sköna land,
Med Välfklands stolta stad och Särklands vida strand,
Sic vissa öde fäg, när De begynte rasa.

Bland dem som hafva lärdt at vörda *Deras* spira,
Var *Sicketeyars* folk, hos hvilka RODGEIRS äte
I hundra femti år ägt Konganamn och rätt,
Och fukt sin gamla frägd med nya storverk sira.

MINE HÖGGUNSTIGE

Ödmjukaste
ANDERS

KONGL. MAJTS
Tro-Tjenare och CAPITAINE vid Nylands
Cavalerie Regemente,
Välborne

HERR WENZEL FREDR. ROTHKIRCH,

KONGL. MAJTS
Tro-Tjenare och CORNET
Välborne

HERR F R E D R I C AMINOFF,

HERRAR.

Det värde Nordmän ägt på dessa täcka stränder,
Har jag til ämne valt i denna kotta skrift;
Hvarmed jag velat te vårt folklags mod och drifst,
I hopp at det vår tid til någon lärdom länder.

J Tappre HEDERS-MÄN, förläten at jag vågar
Bepryda dessa blad med EDRA värdas Namn,
Och ödmjukt lägga ned det offer i ER famn,
Som utaf tacksamhet uti mit hjerta lägar.

Den HÖGSTE gigne ER för all den gunst och hyllest,
Samt myckna ömhet jag har rönt i EDRA hus;
GUD lede EDER gång med nädens klara ljus,
Och kröne EDERT lis med frid och frögd tilfyllest!

HERRARS

Tjenare
BERGMARK.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
Dn. LAURENTIO BERGMARK,
COMMUNISTRO in DARETORP Vigilantissimo,

PARENTI OPTIMO.

*Ipse ego, qui nuper Senium Virtutis amandæ
Exploxi, rursus Martia facia loquor.
Quidque ferox quondam gessit Normannica proles,
Ut domuit Gallos, Hesperiæisque manus.
Ut quoque Trinacrias late dominata per oras,
Ut simul heic regnum constituitque potens.
Suscipe, Care PATER, conamina nostra benigne,
Sunt mentis gratæ pignus & arrha meæ.
Tempore quot verno gemmas nunc parturit arbos,
Tot TIBI contingent commoda grata, precor!
Utque TIBI nobisque satis, PATER Optime, vixti,
Postremo angelicis adjociere choris!*

PARENTIS OPTIMI

filius obedientissimus
ANDREAS BERGMARK.

I. N. J. C.

Eta fuit omnium ferme popolorum antiquissimis temporibus consuetudo, ut dedecori sibi ducent, otio atque pace consenescere; quamobrem etiam singuli fere, quibus vigor animi in robusto non debeat corpore, castra quotannis sequebantur, gloriam rerum, in bello masculine & feliciter gestarum, sibi acquisituri. Caussas expeditionum militarium haud operose quærebant, nec reparationem injuriarum sibi temere illatarum armorum strepitu postulabant; plerique vero justum censebant, vicinos aliosque, si fortes & arduis facinoribus inelyti essent, intra ordinem subjectionis tempestive redigere; sin autem pacis erant amantes, torpidos illos habebant, adeoque indignos, qui suis vivebant legibus: atque, ut paucis multa complectamur, veteres eam lovebant opinionem, justitiam ipsam armatas cohortes non sequi modo, sed etiam ducere. Mittimus ceteras gentes, quarum fortitudinem amplis præconiis celebrant eruditi, populos tantum septentrionales contemplaturi, quos rigidum solum duramque Naturam Mavortiis præcipue certaminibus destinasse, multi opinantur. Quicquid vero sit, majores nostri hostes vocare & vulnera mereri, quam res illas alias tractare ma-

A

lue.

Iuerunt. Testantur itaque annales, quod ipsi non solum ad proximas, sed etiam ad remotissimas passim gentes expeditiones tanto successu suscepserint, ut sui nominis fama tam sui orbis partem quam binas reliquas, tunc cognitas, admnodum impleverint. Caussas adeo longinquæ militiae varias deprehendimus. Pueros quippe a tenera inde ætate docuerunt parentes, nihil tam laudabile aut glriosum esse, quam strictis gladiis alias sibi subjicere gentes; ipsos seu vincerent seu arduis succumberent moliminibus, optime ostendere, se filios minime degeneres esse. Hinc prælia ardebat juvenes, & pugnandi pruritus magna virorum agmina in regiones maxime dissitas abripiet. Deinde quamvis solum regnum borealium messe haud contemnenda industriam & sudorem agricolarum compensaret; ferociæ tamen suæ minus convenire censuerunt maiores nostri, aratro terram subigere, falces & rastros tractare, præsertim cum eventus horum operum incertus longam exspectationem saepe falleret. Ad remotissimas igitur oras catervatim proficiscebantur, opes incolarum, quas illi multo labore & magnis periculis sibi comparaverant, uno conflitu vel sibi vindicaturi, vel, si res præter opinionem cecidisset, inter temeraria ausa ex vieto corpore invictam animam exhalaturi. Præterea non ultimam religionis partem in his constituebant expeditionibus; horridis enim his exercitiis opinabantur, ut perversa tunc erant tempora, se satisfacturos officiis, quæ Patriæ debebant, & proinde facilius admitti in aulam OTHINI, *Vallhall* dictam, in quam illi imprimis recipiebantur, qui vulnera, adverso pectore excepta, ostenderent. Inter hos

turus ceu gratissimi hospites introducebantur & a Marte Hyperboreo lautissimis conviviis dignabantur, qui Romanorum potentiam debellaverant. Hos enim tanto odio prosequerantur nostri, ut ipsos per contemnum *Lupos Romanos* (*Romvargut*) appellaverint. Hinc examina Gothorum, Longobardorum & tandem Normannorum in Italiam frequenter irruperunt, Romanorum nepotes post gravissima utrinque certamina superarunt, & denique ampla sibi hic constituerunt regna. Cumque alii jam pridem OstroGothorum & Longobardorum imperia in meridionali hac Europæ parte luculentiter exposuerint, operæ nos pretium facturos existimavimus, si fata regni Normannorum in Sicilia intacta non relinquamus. Premur equidem maxima monumentorum, quæ ad illustrandam præsentem materiam pertinent, inopia (a); unde etiam suspenso gradu fere ubique progredimur, adeoque optatus successus studio nostro vix respondebit. Interim tamen in medium ea proferemus, quæ ex annalibus, quos adspicere nobis licuit, collegimus, C. Lectorem iterum iterumque rogantes, ut si quid his melius noscat, candidus nobis impertiat, si minus, his nobiscum benigne utatur.

(a) Caussam hujus defectus hanc proponit *Albertus KRANTZIUS Dan. Libr. IV. Cap. IV.* "Poterat ex uno trium regnum aut duobus vel forte tribus collecta manus per maria perque littora digraffari, sed qui vim patiebantur, in commemoratione rerum non discrevere, unde navigaverint.

§. II.

Ne quid eorum prætermittamus, quæ ad præsentis argumenti explicationem pertineant, paucis inquiremus,

mus, ex quo orbis angulo animosa illa gens proruperit; quæ Normannorum nomine quondam inclita, per Occidentalem atque meridionalem Europæ plagam tantum terrorem incolis injecit, ut solemnibus precum formulis hanc quoque oratiunculam inserendam curaverint: *A furore Normannorum libera nos Domine* (a). Quod ex septentrionalibus nostris regionibus egressi fuerint, cum nomen ipsorum, tum etiam unanimis Historicorum consensus satis arguit superque. An vero vel in Svetia, vel in Dania, vel denique in Norvegia sedes suas primitus habuerint, de eo diversas admodum Auctorum sententias deprehendimus, singulis fere hanc gloriam, si quæ modo illa sit, Patriæ suæ vindicantibus Dani præsertim omnem navant operam, ut ostendant, Normannos ex suis insulis fuisse egressos. Verum, si alios Historicos audiamus, quorum fidem in dubium heic vocandi, nulla subest ratio, hi Danos cum Normannis in longinquis expeditionibus fuisse conjunctos, docent quidem, sed sic tamen hos ab illis probe distingvunt. Ita enim SIGEBERTUS Gemblacensis ab Alberto KRANTZIO citatus: *Normanni, junctis sibi Danis, Franciam & Lotharingiam pervagantes* (b). Atque in vetusto quodam Chronicō Monasterii Besvensis hæc leguntur verba: *Sicque Dani cum Normannis retrocedere sunt coacti* (c). Originem hujus populi majori veritatis specie ad Norvegos referunt alii, nisi tam nominum adfinitate, quam auctoritate quorundam Historicorum. Sic OLAVUS TRYGGVONIDES, visis navibus, quas in prælium adduxerat ERICUS, Norvegiæ Jarlus, cruentam valde pugnam ominabatur,

tur, hanc interserens causam: *þeir ero Norþmen;*
sem vier erum, id est: illi æque Northmanni sunt ac
nos (d). Et in antiquo Chronico legimus, quod Rex
Svetbiæ MAGNUS, smek cognominatus, Rex quoque
Normanorum seu Norvegorum salutetur. Hæc autem
 quamvis satis luculenta videantur, non tamen impe-
 diunt alios, quomodo gravissimis argumentis osten-
 dent, Svecos potissimum constituisse nationem, Nor-
 manorum nomine olim celebrem (e). Immo verisi-
 mile est, Normannos ex regionibus nostris borealibus
 processisse; quam in rem plurimum facit locus qui-
 dam ex STURLONIDE: *þa bygðist Jamtaland oc Hel-*
singaland, oc var þo ðbur bvarþveggia noccor bygt
af Norþmannom, hoc est: *Jemtia atque Helsingia tunc*
excoli cœperunt, quanquam longo abhinc tempore
cadem provinciæ a Normannis possum inhabitatae fue-
rint (f). In tanta opinionum de primis Normanno-
 rum sedibus diversitate, nos tutissimi forsitan ibimus,
 si adseramus, Normannos fuisse multitudinem homi-
 num ex Svecis, Danis atque Norvegis compositam.
 Præterquam enim quod ex una quadam aut altera pro-
 vincia tanta virorum nubes olim cogi non posset, quæ
 amplis exercitibus constituendis atque magnis urbibus
 & regnis oppugnandis sufficeret, Auctores etiam, qui
 calculos accuratius subduxisse videntur, nobis adstipu-
 lantes habemus non paucos. Sic EGINHARDUS, Da-
 ni, inquit, *& Sveones, quos Normanos vocamus (g).*
 Cui pollicem premit ADAMUS Bremensis: *Dani vero*
& Sveones ceterique trans Daniam populi ab Histori-
cus Frankorum omnes Nordmanni vocantur, cum tamen

Romani Scriptores eos vocent Hyperboreos (*b*). In eandem plane sententiam ivit THOMAS FAZELLUS: *Qui septentrionalem olim cardinem spectabant, in universum ea tempestate Normanni vocabantur; quorum lingua Nord Septemtrio, Man Vir est, quasi Septentrionalis homo.* *Quicunque itaque ex vasti illius Oceani ora atque incomptae magnitudinis insulis peninsulisque exoriebantur, Normanni appellabantur (*i*).* Aliorum testimonia, cum modo allata sua & antiquitate & evidentiā se commendent, sicco jam præterimus pede.

(*a*) Vid. RAPIN THOIRAS *Histoire d'Angleterre* Lib. I. p. m. 280.

(*b*) Confr. *Rer. Norveg. Lib. II. Cap. X.* (*c*) Vid. *Histor. Norman.* p. m. 23. (*d*) vid. STURLONIDIS *Heimskringla* Tom. I. p. 362. (*e*) Vid. *Dissert. LIDHOLMI*, quæ inscribitur: *Vindicie vera Patriæ Normannorum.* (*f*) Cfr. STURLONIDIS *Lib. sit.* p. m. 95. (*g*) *In vita Caroli Magni.* (*h*) Vid. *Libr. de situ Danie Libr. IV. Cap. IV.* (*i*) Vid. *Rerum Sicularum Dec. II. Libr. VI.*

§. III.

Vidimus hactenus originem Normannorum; dispiciamus quoque qua ratione ad occidentales Europæ partes penetraverint, & tandem in Siciliam aditum sibi paraverint. Quantos in Germania & Anglia fuderint exercitus, quotque oppida expugnaverint, non nostrum jam est exponere. Galliam imprimis, a nostratis *Wallandiam* (*a*) nuncupatam, sæculo IX & sequentibus turbavit horum populorum ferocia, qui tamen his excursionibus non novas sedes, sed divitias tantum & gloriam quærebant. Quare etiam Reges Gallo-

lorum, cum ipsos armis repellere non possent, magnis pecuniarum summis se ab imminente liberarunt exitio. At postquam Norvegiae Rex HARALDUS Pulchrimus, ROLFONEM, vulgo Gaunga-Rolsur dictum, in exilium pepulerat, hic, qua fuit fortitudine & prudenter, adsumtis in societatem militiae plurimis eisdemque delectis Normannis, post varios casus occupavit primo urbem Rothomagum, & paullo post tota quoque potitus est Neustria. Quam in rem de VOLTAIKE: RAUL demanda la Normandie, & on fut trop heureux de la lui céder. Il demanda ensuite la Bretagne; on disputa, mais il fallut la céder encor avec des clauses, que le plus fort explique toujours à son avantage. Ainsi la Bretagne qui étoit tout à l'heure un Royaume, devint un Fief de la Neustrie, & la Neustrie, qu'on s'ac-toutuma bientôt à nommer la Normandie, du nom de ses usurpateurs, fut un état séparé, dont les Ducs rendaient un vain hommage à la Couronne de France (b). Hujus Rolonis filii & nepotes Rufo-Jarlar nuncupati, per longam & continuam seriem his terris dominabantur (c); cum quorum civibus per aliquot saecula Scandinaviae populi perpetuas coluerunt amicitias, mutua exercuerunt commercia, nec non multas res communiter geslerunt (d).

(a) Præter Galliam, etiam Italia & Principatus Wallensis in Anglia hoc nomine comprehendebantur. (b) Vid. *Essay sur l'Histoire Général Tom. I. p. m. 221.* (c) Vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m. 100, 391.* (d) Conf. cit. *STURLONIDIS Libro 6 Tom. p. 392.*

§. IV.

Quoniam longissimo terrarum tractu a se distante Scandinavia & Sicilia, a proposito haud alienum erit, paucis ostendere, qua via ex illa in hanc olim pervererint Normanni. Duplicis igitur generis itinera ab antiquis Scandiæ incolis ad meridionales oras quondam suscepta delineant annales nostri. Alterum horum versus orientalem plagam (*Austerveg*); alterum vero in occidentalem (*Westurvegin*) fuit directum. Et utroque quidem modo in Italiam & inde in Siciliam transire consvererunt. Priori ratione dum expeditionibus longinquis se accinxerunt, primum in Holmgardiam seu Russiam profecti, hinc in Græciam & Thraciam, inde rursus per Pannoniam in Italiam penetrarunt, ex qua brevis fuit in Siciliam transitus. Hanc viam tenuerunt agmina illa OstroGothorum & WestroGothorum, quæ imperium Romanum quondam debellarunt. Enimvero quamvis quidam horum populorum per meridionalem etiam Italiae partem vicitria circumulerint arma, & in regno Neapolitano multa egregia ediderint facinora (a); si tamen Vandals excipiamus, nullo constat indicio, quod Sæc. V. quo continua migrationibus ferrebat Europa, Majores nostri in Siciliam transfretaverint. Serius adhuc multo se vasto Oceano committentes, occidentalem viam tentarunt Normanni. Primus horum Argonautarum, qui difficilem adeo & periculorum plenam navigationem in se suscepit, fuit SCOPTIUS, haud ignobilis Norvegiæ civis, qui cum in inimicitiam Regis MAGNI Barfoths (b) incidisset, adsumtis tribus filiis OGMUNDO, FINNERO atq;

THOR.

THORDURO, per mare occidentale (*Westervegi*) & Fretum Gaditanum transiens, ad littora Italæ classem appulit. Ita enim loquitur STURLONIDES: þat er saugn mamma, at Scoppi hafþi fyrstur sigt Njorwasund Norþmanna, och varþ su færþ bin fregsta, id est: vulgo traditum est, Scoptium primum Normannorum extitisse, qui Njorwasundiæ fretum transmigravit. Hoc iter multorum landibus celebre fuit (c). Quocirca statim observo, quod sicut majores nostri antiqua regionum & locorum nomina raro retinuerunt, ita quoque fretum Herculeum nuncupaverint Njorwasund (d). Facta autem est hæc Scoppii peregrinatio Sæc. XI, a quo tempore occidentalis via a veteribus Scandianis frequentata fuit. Enimvero fata minime felicia Scoptium Romæ (*Rumaborgar*) manserunt, siquidem ibi paullo post adventum fuit extinctus, immo & duo ejus filii Ogmundus & Hinnerus heic occubuerunt (e). Supererat jam solus Thordurus, qui in Siciliam transiit, ubi vitam cum morte commutavit. Ita enim STURLONIDES: þortur lissi leingst þeirra fœrga, hann andaþist i Sikley, id est: ceteris supervixit Thordurus, qui in Sicilia exspiravit (f). Non dubito fore multos, qui mirentur, quomodo Majores nostri per tam vasta maria expeditiones suscipere potuerint, cum & exiguis tunc gauderent navigiis & usum acus magneticæ ignorarent. Enimvero licet naves, nostris magnitudine pares, non habuerint veteres, nec tamen sic putandum, quod eorum navigia vel lembi vel lintres tantum fuerint, siquidem ante Scoptium naves longas (*Langskip*) habuerint,

rint, quæ etjam in vetustis monumentis semitansæ & futuæ se Æxprimuntur; quarum illa triginta remigibus, hæc quadraginta instruebatur, non computatis militibus, quorum unaquæque nonaginta & centum cum eorum armis & commieatu ferre potuit. Deinde notandum, quod veteres Scandiani littora præcipue leverint, nec vasto Oceano se temere cominiserint, quare etjam tardiora fuerunt eorum itinera. Sic de *Scoptio* constat, quod ex Norvegia solvens, post aliquot mensium navigationem vergente autumno in Flandriam (*Flemingia-Lind*) pervenerit, ibique hibernacula habuerit. Seuante autem vere in Galliam transit, cujus & Hispaniæ præternavigans littora versus finem autumni in sequentis Romam pervenit, adeoque itineri huic integrum impendit annum (g).

(a) Vid. *Diss. EKERMANNI de moderatione veterum Gotborum circa vittorias.* p. m. 24. 25. (b) Caussam hujus exponit *STURLONIDES* Tom. II. p. 221. (c) Vid. *STURL.* Tom. II. p. m. 224. (d) Ita dictum videtur ab Anglo-Saxonico *Nearn*, arctus, Angl. *Narrow* idem & *sund* fretum, quasi dices *angustum fretum*, vid. *Dissert. BERONII de Peregrinatione Gent. Septentrionalium in Graciam* p. 7. (e) Vid. *STURLON.* l. cit. (f) Vid. *STURL.* l. cit. (g) *Conf. STURL.* loc. sape cit.

§. V.

Ut causas constituti imperii Normannorum in Sicilia detegamus, necesse est, ut dispiciamus, qualis rerum facies ante illorum adventum in hac insula fuit. Ex annalibus igitur constat, quod fortissimus VeroGothorum in Italia Rex ALARICUS, subacta tota

ta ferme hac terra, transitum in Siciliam atque hinc porro in Africam sit molitus, verum quod paullo post in ipso belli adparatu deceperit (*a*); qua ratione imminentem cladem tunc declinarunt Siculi. Sed optata halcyonia ne sic quidem diu egerunt. Molimina enim Alarici prosecuti sunt *Vandalī*, gens admodum errabunda, qui in Siciliam sæculo V transferunt, eamque totam facili negotio in suam redegerunt potestatem. Immo quamvis ex hac in Africam atque Italiam crebras facerent excursiones, per LXXX annos tamen illius dominium sibi vindicarunt. Circa medium fere sæculi VI. fulmen illud belli, Græcorum Imperatoris JUSTINIANI I. Dux BELLISARIUS, ipsos hinc expulit, totamque insulam occupavit; a quo tempore per tria ferme sæcula Exarchis Imperatorum Orientalium ipsa paruit. Surrexerunt interea Saraceni, ferox Muhamedana suboles, Arabiae suæ claustra fregerunt, & nescio quo funesto virtutis oestro perciti magnam Asiam, magnam Africæ partem pervaletarunt. Hinc victoria arma in Europam transferentes, cum alias regiones, tum præcipue Siciliam sibi subjecerunt, ipsos ad fertilia hæcce loca occupanda invitante & viam monstrante Siciliæ tunc Pro-Rege EUPHEMIO, qui ne meritissimas delicti, virginem enim vestalem corruperat (*b*), pœnas daret, patriam suam prodere non dubitavit. Ut hanc hominum colluviem ejicerent Principes Christiani, nihil non moliti fuerunt. Imprimis memoria dignus est OTHO II. Imperatoris Romanorum OTHONIS I. filius, qui in matrimonium petiit THEOPHANIAM, Imperatoris Græcorum

NICEPHORI filiam, dotisque loco sibi non divitias, sed jus tantum in amissam pæne Siciliam & Neapolim stipulatus fuit. Annunt Græci votis quidem impigri Principis, sed fallacem suam indolem plus simplicivice in hoc negotio prodiderunt. OTHO tamen animum non despontit; verum copias contraxit, præliumque cum Saracenis commisit, in quo licet graviter vulneratus fuerit, atque infectis rebus domum redierit, ita tamen cristas adversariorum depresso, ut *pallida mors Saracenorum dictus* fuerit (*c*). Post hæc tentamina deprehendimus, quod Sicilia, quantumvis exigua terra, in tres factiones fuerit divisa, adeo ut partem insulæ tenuerint Græci, aliam habuerint Saraceni & tertiam denique conservaverint Siculorum Duces (*d*). Singuli hi ex suis regionibus, tanquam e speculis, occasione invigilarunt, suam extendendi potentiam, adeoque continuis fere bellis distinebantur. Ex quibus satis apparet superque, valde infelicem hac tempestate fuisse Siculorum conditionem.

(*a*) Vid. DALINI His. Patr. Tom. I. p. m. 303. (*b*) Ad illecebras feminineas, tanquam ad Sirenum scopulos, multos Principum triste auctoritatis atque potentiae fecisse naufragium, Historia passim docet. Sic per stuprum, quod LUCRETIAE intulerat TARQUINII, totius imperii Romani constitutio, ut docent Auctores, fuit turbata. Sic quoque cum RODERICUS, W. Gothorum in Hispania Rex, corruperat FLORINDAM, Comitis JULIANI filiam, occasionem sibi hinc sumvit Pater, Saracenos in vindictam & interitum patriæ sollicitandi. Veræ autem caussæ talium mutationum plerumque sunt Principum vitia & impotens dominatio, quod de occasu imperii Græ-

Græcorum in Sicilia etiam valere, luculenter ostenderemus,
si modo id nunc ægeremus. (e) Vid. *Rer. Sicular. Scriptor.*
(a) Vid. *de VOLTAIRE lib. cit. p. m. 304. 305.*

§. VI.

Enimvero quam levi momento humana quævis,
etiam quæ robustissima & firmissima videntur, saepè
turbentur, vel suo exemplo atque inopinato impe-
rii sui in Sicilia occasu satis comprobant Saraceni.
Scilicet inter potentiores Italiæ Duces, sæculo X ver-
gente, fuit GAMARUS, Dux Beneventinus, cuius æ-
tate Normanni quidam, numero quinquaginta aut
sexaginta admodum, Hierosolymam sunt profecti,
qui ex hac expeditione sacra domum reversuri, Sa-
lernum se contulerunt, quod oppidum tunc a Sara-
cenis gravissima premebatur obsidione. Intrant ta-
men portum & Salernitanos tunc forte occupatos in-
veniunt, ut pecuniæ summam colligerent, qua ab
imminente se liberarent exitio. Ægre admodum
hanc illorum calamitatem ferunt, modumque illam
avertendi querunt. Interea ex muris castra adver-
sariorum contemplantur, simulque animadvertisunt,
Saracenos, contemta oppidanorum paucitate, disci-
plinam militarem negligentes, nec non comedissa-
tionibus & ludis præter modum indulgentes. Hoc
Salernitanis exponunt, simulque vecordiam ipsorum
graviter illis exprobrant, urgentes, arma non prius
esse deponenda, quam fortitudinis & fortunæ expe-
rimentum fecissent. His monitis, quidam Salernita-
ni quasi e sopore expergefacti, meliora sperare au-
dent, & impigre sequuntur manipulum Normanno-

rum; qui media nocte portis egressi castra Saraceno-
rum, vino somnoque sepultorum, tanto successu ad-
oriuntur, ut multos hostium trucident, reliquis salutem
fuga & navium velocitate petentibus. His ita ex-
pulsis, viatores præda onusti Salernum ingrediuntur,
tanto majori laude digni, quod modestia auxerint be-
neficiorum numerum; siquidem ne præmia quidem,
quaæ inter applausus & fortitudinis admirationem il-
lis offerebant cives, recipere voluerint (a). Et post
hanc cladem ita fractæ sunt Saracenorum vires, ut
imperium hujus insulæ amissum recuperare non pot-
uerint.

(a) Vid. præter alios de VOLTAIRE Libr. & Tom. cit. p. m.
305. 306.

§. VII.

Longius adhuc progreditur quidam ex recen-
tioribus, caussam adventus Normannorum in Sici-
liam & amicitiæ cum civibus indagaturus, atque
a venusta virginе Normannica exordium narrationis
suæ facit. Scilicet fuit virgo quædam, cuius nu-
ptias propter gratissimam speciem præter plures procos
ambivit etiam WILHELMUS REPOSTEL, qui cum
repulsam tulisset, famam ejus labefactare cœpit. Æger-
rime hos rumores tulit virginis frater DRONGO-OS-
MUNDUS (DRAUGA-ASMUND) (a), qui calumniam
ulturus, Wilhelm. in certamen provocatum interfecit.
Incidit vero ita Asmundus in inimicitiam Norman-
niæ ducis, ROBERTI forte Longaspada cognominati,
adeo ut ad Gamarum, Beneventi ducem, se contule-
rit; quem magnis postmodum meritis sibi ita de-

Vin-

vinxit, ut Normanni omnes ipsi essent gratissimi. In ceteris parum abludit Noster ab illis, quæ §. VI. attulimus. Ad finem vero narrationis hac addit: Le Duc étonné de leur valeur, veut les combler de présens, mais il est encore plus étonné de leur générosité; ils les refusent. Il veut les retenir, & voyant ses prières & ses offres inutiles, il leur fait au moins promettre de revenir. La gloire qu'ils ont acquise, excite à autres Normands à passer à Salerne. Leur valeur les fait désirer de tous ceux, qui ont des possessions dans ce pays & des invasions à craindre. Ils servent tantôt l'Empereur Grec, tantôt le Pape, & toujours avec succès. Leur force les rend redoutables, on commence à les craindre; les Grecs, toujours perfides, leur firent des injustices, & s'attirerent leur vengeance. Les Normands tournerent leurs armes contre ceux, qui savoient si mal reconnoître leurs services, conquirent la Calabre, la Poulie, la Sicile, & fondèrent un Royaume, qui subsista plus de cent cinquante ans (b). Non tamen hi modo memorati Normanni regnum Normannorum in Sicilia constituerunt, ceu mox videbimus.

(a) Drauga significat exectum, hinc Othinus dictus est Drauga Drottinn, vid. STURL. Tom. I. p. 8. (b) Vid. Les grands evenemens par des petits causes par Mr. RICHER Tom. I. p. 94. sequ.

§. VIII.

In exteris Scriptoribus desideramus, quod non satis determinent, quinam illi fuerint, quorum auspiciis regnum Normannorum in Sicilia fuerit constitutum, unde illi venerint, aut quo tempore hoc factum

Atum sit. Sed defectum hunc nostri supplent annales.
 Erit autem res altius repetenda. Expeditionem THOR-
 DURI in hanc insulam modo explicuimus. Haud
 ita multis ante eum lustris, Normanni ductu HA-
 RALDI HÅRDRÅDE multas res in Trinacia forti-
 ter & feliciter gesserunt. Scilicet Princeps hic ar-
 dore pugnandi flagrans, vitamque minus securam
 in natali solo degens, primum ad Holmgardiæ Re-
 gem JARISLAVUM & hinc Constantinopolin, *Mik-*
lagard a nostris dictam, se contulit, ubi prudentia
 atque fortitudine tantam apud Imperatricem Græ-
 corum ZOË nuncupatam, consecutus est gratiam,
 ut ipsum Præfectum Væringorum seu Satellitum præ-
 sidiariorum constituerit. Norvegiae Princeps rursus,
 ut opinionem, quam de illo conceperat Imperatrix,
 confirmaret, ipsa annuente, copias suas navibus im-
 posuit, insulas Archipelagi bello persecutus, multas-
 que Corsariis eripuit. Hinc in Africam properavit,
 ubi brevi admodum tempore ultra octoginta urbes
 expugnavit. Hoc facto, transfretavit in Siciliam,
 regionem populatus, quatuor urbes perquam muni-
 tas, arte magis an Marte non facile dixerim, ex-
 pugnavit, magnaque præda onustus Constantino-
 polin rediit (a). Quocirca erit notandum, quod,
 cum HARALDUS vietas civitates non diruerit, veri-
 simile sit, quod præsidia ex suis copiis dele&ta illis
 imposuerit, ut sic facilius in officio illas contineret.
 Comitabantur HARALDUM in his expeditionibus
 duo præstantes Islandi, nimiram HALDURUS *Snor-*
rønis, cognomine Boni filius atque ULFO Ospaki (*in-*
do-